

www.e-rara.ch

Polydori Vergilii Urbinatis de rerum inventoribus libri octo

Vergilius, Polydorus

Basileae, 1550

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-236>

Polydori Vergilii Urbinatis de inventoribus rerum liber septimus

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

POLYDORI VERGI

LII VRBINATIS DE INVEN-
TORIBVS RERVM LI
BER SEPTIMVS.

De monasticæ uitæ principio. CAP. I.



DE Euangelicæ & Apostolicæ ui-
tæ initijs hætenus diximus : in
hoc uerò uolumine nouus ac ua-
rius uiuendi modus demonstrabi-
tur. Cum enim à maioribus tanto
pere degeneratū, ab eorumq; di-
sciplina ac uitæ sanctimonia sic
lōgè discessum foret, ut suprâ est

sparsim demonstratū, tam Romani deinde pontifices, quàm
ubiq; gentiū antistites nihil prius habuere, quàm ordinis sa-
cerdotalis sic labentis reuocare gradum, sic peccantis coër-
cere insolentiã, promulgatis ab se nouis quotidie legibus, ad
melioris uitæ institutionē. Ad hæc indixere graues pœnas,
qui deinde contrâ ac liceret, fecissent, ut quò minus odissent
peccare uirtutis amore, hoc formidine pœnæ facilius à ma-
lefactis manus abstinerent. Nec eo quidē pacto perinde pro-
fecere, quoniã à degustatis uoluptatibus haud facile animus
auocatur: quare nōnulli postea extitere bonæ frugi patres,
qui uiam secuturis facerent, qua à deuiō ad rectum iretur.
Porrò ij omnibus quæ in terris miramur, cōtemptis, Chri-
stum cōplexi, id est, ueritatē, pietatem, innocentia, mansue-
tudinē, solum diuinis reb. operã dederūt, quorū principes
fuerunt Paulus, Antonius, Hilarion, Basilus, Hieronymus, ac

plerique alij, qui ab initio sanctitate pollentes, ueluti nouæ religionis plantæ in Aegypti Syriæq; solo quamuis sterili feliciter increuere, nullo tamen adhuc certo uiuendi ritu: nam id temporis huiusce uitæ genus simplex ac liberum erat, ut istis omnino cærimonijs minimè obstrictum, quas hodie monachi obseruant. Vestitum honestum pro iure suo quisq; sumebat: item nullum uotorum uinculum, ita ut integrum unicuiq; foret manere, aut proficisci quò terrarum uellet: uel si quem eiusmodi sui instituti pœnit uisset, etiam potestas esset ad pristinam redeundi uitam, non absque tamen inconstantiæ nota. Quod si deinceps per nouas hominũ leges inuiolatum permanere licuisset, longè sanctissimos omni tempore monachos habuissemus, quãdò improbi haud diu monachi fuissent. Petebant loca ut plurimum deserta, hoc est, eremum, unde eremitæ dicti, quasi eremum colentes, quos Græci anachoretas uocant: & quia soli uiuebant, ideo nostri monachos nuncuparunt, id est, solitarios: uerum paulatim deinceps cœperunt gregatim agere, uti infra dicitur. Atq; ita à principio monachi precibus, ieiunijs, uigilijs, literarumq; studijs dediti, procul ab omni hominũ cœtu, tantum duriter uictitando, ac sese manibus exercendo, exemplum bene uiuendi posteris ediderunt. At isti dein superiorum eiusmodi uestigia secuti, familias singuli suas, ut per appositè infra dicitur, instituere, illisq; uiuendi normam præscripserunt, ut & uerbo & factò, quemadmodum ipse familiæ prædicant, uitam planè apostolicam mortalibus referrent. Ad hunc denique modum, Christianus populus unam legem, unam religionem complexus, in uarias sectas est diuisus. Sed de monastici instituti initio longè post homines natos nunc celeberrimi, iam dicamus. Itaq; olim inter multos,

teste

teste Hieron. quaesitum est, à quo potissimum eremus sit pri-
 mum habitari cœpta: quidã enim altius repetentes, Heliam
 & Ioannem Baptistam eius rei autores faciunt: sed ut is plus
 quàm propheta, ita ille plus quàm monachus censerì debet.
 Alij Antonio assignant, alij cuidam Paulo Thebæo, ob id ip-
 sum primo eremitæ nuncupato, quòd Anachoreticæ uitæ
 primus fundamenta iecisset, id quod uel Hieron. cõprobat.
 Hũc igitur ueluti exemplar, illum ut exemplum ad imitan-
 dum, fuisse dicunt. Ego uerò, quando in re ambigua unicui-
 que liberum est coniectare, crediderim institutum monasti-
 cæ uitæ ab Essæis siue Essenis, ita appellat Plinius, quorum
 secta apud Iudæos admodũ celebris habita est, ad postros
 manasse: quoniam illi ferè per omnia eam ducebant uitam,
 quam inter nos monachi ex præscripto legis agere solent.
 Et, ut legentibus id perspicuè pateat, non ociosum erit hĩc
 Philonis uerba subiicere, quæ Euseb. lib. 8. Euangel. præpa.
 repetit, ita scribens: Palaestinam maxima gens Iudæorũ ha-
 bitat, inter quos, qui dicuntur Essæi, comperiuntur plures
 numero, ut opinor, quàm quatuor millia: Essæi dicti, quasi
 sancti græcè, quoniam Dei cultores præcipuè sunt, non ani-
 malia sacrificantes, sed mētes suas uirtute munitas, offeren-
 das Deo putantes. Nemo inter eos puer, nemo adolescens,
 propter instabilitatem ætatis, sed uiri omnes, aut senes sunt.
 In ciuitatibus non habitant, existimantes ut cõtationem æ-
 ris corporibus, sic conuersationem uulgi animo nocere. Ho-
 rum alij agros colunt, alij pacificas artes ad uilitatem suam
 & proximorum exercent, nec aurum nec argentum repo-
 nunt, nec ingentes agros laudant, sed tantum colunt, quan-
 tum necessitati possit sufficere. Si enim ex omnibus penè ho-
 minibus, soli pecuniam & fundos negligētes, uirtute ditissi-

mi putantur, facilitatem uiuendi & paucorū indigentiam, rectè magnas esse diuitias iudicātes. Nemo eorū tela, enses, galeas, scuta, ceteraq; belli instrumenta factitat: sed nec eas artes exercent, quibus facîle omnes in improbitatem labuntur. Nulla mercatura, nullus cauponatus, nulla eis cognoscitur nauigatio, omnes rapinæ occasiones depellunt. Nemo seruus apud eos, sed cū uniuersi liberi sint, alteri alteris seruiunt: omnes enim, aiunt, quasi mater, eadem natura genuit: quare quamuis non uocemur, sumus tamen re ipsa fratres. Illam philosophiæ partē solummodo approbant, qua de Deo & de creatione omniū scrutamur: morali maximè inuigilant, ad quam absolutè consequendam paternis legibus adiuuantur, quas rectè intelligere nemo sine diuino auxilio potest. Has semper quidē, sed maximè septimis quisq; diebus docentur: dedicata enim septima dies deputatur, in qua cæteris omnibus neglectis, ad sacra loca concurrentes, quæ synagogæ appellantur, ordine sub senioribus iuniores considerare solent, legunturq; scripturæ diligenter, & exponuntur à peritissimis. Discunt igitur piè, sanctè, iustèq; uiuere, tripliciregula utentes, amore Dei ardentissimo, uirtutis cultu diligentissimo, charitatē proximi feruētissima. Quòd igitur summè Deum diligant, multa nobis argumento sunt, castitas perpetua, iurisiurandi nulla mentio, mendacij odiū, & præcipuè quòd bonorum omnium, nullius mali causam Deum opinantur. Quòd uirtuti studeant, patet, quia pecuniam negligunt, gloriā spernunt, uoluptatē oderunt. Charitatis autem argumenta sunt, beneuolentia, societas, æqualitas: nullus enim domū habitat quæ omnium cōmunis non sit, unum ærarium, unus sumptus omnibus est. Præterea uestis communiter omnibus proposita, cōmunis cibus & potus,

tus, communis mensa, omnis deniq; uita communis est. Ha-
 etenus Philo apud Eusebium. Si quispiam ex nostris mona-
 chis qui regifico mensarum apparatu uiuunt, qui uolupta-
 tes libare peritè norunt, qui honores nauiter ambiūt, qui pe-
 cuniæ studiū semper immodicū habent, hæc aliquando lege-
 rit, secūm ue reputauerit, nōne eum pudebit, quòd iustitia
 sua non modò plus quàm Essenorum nō abundet, sed longè
 magis flaccescat, langueatq;? Ab Essenorum igitur religio-
 ne profectum meritò credere æquum est, ut apud nos mona-
 sticæ uitæ institutū coaluerit, quo similiter Paulus Thebæus
 ut Antonius, ambo Aegyptij homines à primo olim imbuti,
 ac illud postea insigniter æmulati in primis esse uidētur. Sed
 Antonio initium rei huius iure optimo acceptum referri de-
 cet, qui, etsi nō ante omnes fuit, primus tamē mirè omnium
 studia ad eam uitā degendam incitauit, monachorumq; do-
 gma instituit, sicuti deinde Basilus in Græcia fecit. Adauxit
 & id temporis pium institutum Hilarion in Syria, qui cūm
 sanctitate iam claresceret, Gazæ tres cuiusdam nobilis ma-
 tronæ filios simul repentè morbo affectos inuocato nomine
 Iesu, extemplò sanauit. Quod postquā auditum est, & lon-
 gè lateq; percrebuit, certatim ad eum ex Syria & Aegypto
 confluebant, ita ut multi crederent Christum esse uerè Dei
 filium, & se monachos profiterentur. Nondum enim cœno-
 bia erant in Palestina, nec quisquam monachos ante diuum
 Hilarionem in Syria nouerat, ille fundator & eruditor hu-
 ius instituti ac studij in hac prouincia fuit. Habebat Domi-
 nus Iesus in Aegypto senem Antonium, habebat in Palæsti-
 na Hilarionem iuniorem. Hæc ex Hieron. Ad Antonium re-
 deo. Vixit Antonius in solitudine in Thebaica regione Aeg-
 ypti, condiditq; ibi cœnobiū, ubi cum Sarmata, Amata, &

Machario suis discipulis, precibus tantū deditus erat, in pane & aquā omnis eius uictus consistebat, cuius sanctitas ita celebris erat, ut Helena Constantini mater se & filium per literas illi cōmendarit. Obijt mortem in eremo, annos CV. natus, qui fuit annus salutis humanæ C C C L X I. Discipuli eius Amatas & Macharius (nam Sarmatam Saraceni impetu in Antonij coenobium factō, interfecerant) monasticū ordinem postea tam uitæ sanctimonia, quā institutis, mirum in modum propagarunt. Ac eiusmodi uitæ monasticæ principium tale fuit.

Quando primū ordo monasticus tribus uotis astrictus fuerit, & quis primus ea uota introduxerit, uestitumq; religiosum, cum nouo uitæ modo, ac ordo ipse abiuerit in plures familias.

CAPVT II.



Post annum quā Antonius, de quo supra est mentio facta, erat mortuus, circiter CLXVI. claruit Benedictus Nursinus in Umbria Italiæ regione natus. Is in solitudine per diu uersatus, se demum Sublacum seu Sublaqueum contulit, quod est Latinorum præclarum oppidum, lacui eodem & tamē prisco nomine proximū, distatq; ab urbe Roma circiter milia passuum quadraginta. Hic cum à multitudine ob sanctitatis famam adiretur, & ei secundum religionem nihil solitudine gratius esset, postremò eius celebritatis uitandæ causa, Casinū in ea regione peruetustum oppidum uenit, ibiq; sibi sedem posuit, sparsosq; & soliuagos ad id tempus monachos in unum contraxit coenobium, mores & uitam, tribus munitam uotis, quæ prius non fuerant, quā Basilium

cum certa uiuendi formula, constituisset in Oriente, instituit parum uulgatæ obseruationis. Sanè Basilius Cæsareæ Cappadocum præsul, qui circiter annum salutis humanæ CCCLXXXIII. doctrinæ pariter atq; sanctitatis summis floruit laudibus, primus omnium obligauit monachos nouis legibus, ut post annum, quàm quis in collegium uenisset, si in eo uellet uitæ instituto permanere, uoueret se castè uicturum, nihil possessurum, ac dicto præsectorum fore audientem, quò se in perpetuum omni sua abdicaret uoluntate. Fuit postea Basilij decretum iuxta ab omnibus receptum. Quanquam paupertatis uotum multò antiquius esse uidetur, si Urbano pontifici Romano credimus, qui amplius CXL. annis Basilium antecessit: quando in epistola, quæ eius nomine legitur, inuenimus, ita usu uenisse, ut qui apostolorum imitatores existerent, paulatim uota facerent se nihil proprium habituros, quò æquè rerum cõmunitas, ac apostolicæ uitæ institutum omni tempore uigeret: siquidem ipsi apostoli ad docendum Euangelicum dogma quoquouersum à Christo missi, in mandatis, quemadmodum diuus Petrus apud diuum Clementem libro recognitionum secundum testatur, non habuerunt proprium aliquid dicere. Ceterum isthæc tria uota iam inde à principio tanti esse cœperunt patribus, ut illi posthac lege sanxerint, etiã presbyteros quos seculares dicunt, debere uotum castitatis, id est, pudicitie seruandæ perpetuò saltè tacitè facere, ac per id, haud licere cuiquam eiusmodi uotis obligato, astrictoq; deinceps matrimonium contrahere, & si quis contraheret, illud omnino minimè ualere. Vnde breui post quæstio incidit, an tale coniugium deberet stare nec ne. Et D. Augustinus, qui Basilio æqualis fuit, in primis permultis rationibus probauit connubia post uotum contracta non debere dirimi, ue-

luti in decretis, 27. q. 1. cap. Nuptiarum. planè extat. Item Benedictus dedit suis monachis nouum uestitus genus, constituit modum orandi, & tenue uictus alimentum, ac nouam abstinentiæ normam. Et ut appareret eum coetum fuisse ex summo mortalium usu, res mirandum in modum postea paulatim creuit, abijtq; in plures familias, Cluniacenses, Camalduenses, Vallisumbrenses, Montoliuetenses, Grandimontenses, Cistercienses, Syluestrenses, qui Humiliatorum cognomen ferunt, Cœlestinos, diuæ Iustinae, & eremitanos diui Hieronymi, postremò per Martinum quintum, in familiam diui Benedicti adsitos. Quem ordinem à patrū norma iam collapsum, Lupus Hispalensis eius familiæ præpositus, nouis institutis instaurauit, de cuius exordio in capite insequenti prodetur. At ij quidem monachi, & si qui alij sint (quotidie enim sunt, qui ut ignauie suæ potius quàm religioni consulant, nouas introducere sectas conentur) ex uno uelut fonte manasse dicuntur. Cæterum qui tum primùm instituti fuerunt, Benedictinos fuisse tradunt, qui nigro hodie amiciuntur colore, tunica laxiore, ac discincta, & ad pedes usq; demissa, amictu capitis, quem cucullum uocant, in humeros & scapulas breuius reiecto, quàm cæteris: subter candida tunicula, & ea quidem lanea, cum cilicio, ocreati genus tenuis incedunt, tondentur nouacula à uertice infra dimidium caluæ: capillus infernè recisus in parui circuli speciem, circa aures & tempora, totum ambit caput instar coronæ, unde ipse uertex derasus corona nuncupatur. Item à carnibus perpetuò se abstinèt, nisi cum ægrotare cœperint. Vnde monachi qui hodie continenter carnibus uescuntur, quorū numerus ubiq; gentium extra Italiam, ingentissimus est, perpetuò ægrotent, necesse est, nisi uelint impudenter fateri, se
 contra

contra suas leges facere. Atq; ita monastica instituta ut humana, haud diu inuiolata steterè, hominũ moribus semper in deteriora inclinantibus, ac diuitijs pietatẽ, quæ ut mater illas à principio ordini pepererat, contaminantibus. Quo factum est, ut monasticũ nomen sæpius uarieq; instauratum in plures abiuerit familias. Itaq; Cluniacensiuũ ordo ex Benedicti obseruatione, apud Masticensem seu Masticocensem, utrunq; scriptũ reperio, Burgundie pagũ, ab Odone abbate quem dicunt, instituitur, quibus locum dedit, & extruxit Gulielmus pius Aquitanie dux. Qui fuit annis salutis DCCCCXVI. Haud ita multo post Camalduensium religio orta est, autore eius congregationis Romoaldo Rauennate: fuit is monachus Classensis cœnobij: est locus iste haud procul Rauenna, qui celebritatis fugiens in Hetruriam peruenit, ibiq; in summo Apennini iugo, locum à quodam Madulo incola consecutus, unde nomen ordini inditum, noue familie fundamenta iecit, candido sumpto amictu. Sunt hodie in eminentissimo iugo montis duodeuiginti sacella, ubi perpetuum silentium, quarto & sexto hebdomadæ die pane & aqua transigunt ieiunia, nudis pedibus, humi accubantes: uerum in alijs locis uita eorũ remissior est. Item in ea Apennini parte, quæ Vallis Umbrosa uulgo dicitur, circiter annũ salutis MLX. Ioannes Gualbertus nouã monachorum familiã instituit, eamq; à loco appellauit Vallisumbrensem. Is Florentia oriundus, ac claro loco natus, cum fratris percussorẽ fortè obuiam habuerit, quia illi ueniam petenti non negasset, imago crucifixi, quæ in proximo fano diui Miniatis erat, uisa ei est: post hæc inibi oranti inclinasse parũ caput, perinde quasi id pietatis facinus cõprobasset. Ea imago hodie uisitur in eodem diui Miniatis templo, quod in colle

prope Florentiam extat. Ioannes eo motus miraculo, in solitudinem cōcessit, autorq; nouæ religionis fuit, amictumq; sibi induit cœruleum, quo nūc utuntur. Montoliuetenses eo anno, qui fuit MCCCCVII. salutis, esse cœperunt, quo triū pontificum pestilens discordia orta est. Ii Senenses primū fuere, quorum princeps Bernardus Ptolemæus, qui pro temporum conditione, capto mutandæ uitæ consilio, in proximum urbi collem egressi sunt, cumq; ex nomine illius Hierosolymitani dominicis frequentati uestigijs appellantes, sese candido induerunt amictu, Gregorio XII. probante. Grandimontensem ordinē Stephanus in Auernis amplissima familia ortus, in Aquitania primus instituit, cui mons in quo mox sedes illius familiæ locata est, nomē dedit, multis uiuendi mutatis, aut ex integro conditis legibus. Iisdem serè temporibus Robertus Molismensis abbas cūm priscam disciplinā iam minimè retineri animaduertet, uiginti & amplius comitatus monachis, Cistercium locum in Burgundia Cabilonensis dioceseos, uastæ solitudinis, ac horrendi aspectus petijt, ibiq; immoratus celeberrimi ordinis autor fuit, quē à loco Cisterciensem nūcupare uoluit. Sunt qui hoc cuidam Ardingo monacho assignent, quòd ille Robertum impulsisset ad commigrandum in eum locum, perinde quasi qui hortatur, non qui facit, primas iure ferre debeat. Fuit is annus salutis MXCVIII. Claruit in hoc Bernardus Castilionensis homo Burgundus nobili loco ortus, qui Cisterciensi cœnobio prius inchoato, monasticum induit habitum, tantum inde nomen eruditionis & sanctitatis est adeptus, ut Claraualensis sit abbas factus, quem locum Robertus uir illustris non multò prius sumptuose extruxerat. Centesimo deinde anno, Humiliatorum ordo in Germania oritur: exordiū rei triste,

triste, sed leti successus: multi enim mortales aut bello capti, aut quia fides eorū suspecta esset, fuerant ex Cisalpina Gallia, iussu Federici, cui Barbarubræ cognomen fuit, qui tum Italiam armis diuexabat, in Germaniam cum liberis & uxoribus traducti. Sunt tamen qui ab Henrico id factū tradant. Si longiorem moram pertæsi, aliquando albis uestibus induti, uiri sceminæq; humiliter Federico ad pedes prostrati iacuerunt, ueniam implorantes. Istorum lachrymis uestituq; motus Imperator, potestatem fecit omnibus in patriam abeundi: qui postliminio reuersi, uoto, ut uerisimile est, in eo ritu perseuerasse dicuntur, lanificio & precibus dediti. Inde, ut fit, res à modico principio orta adeò creuit, ut eam piè inchoatam auctamq; Innocentius tertius primū, deinde pleriq; alij Romani pontifices approbarint. Cœlestinorum religio octogesimo quarto circiter anno post orta est. Cœlestinus quintus Rom. pōtifex fuit autor, prius quàm ad pontificatū uocaretur, anachoreta: idcirco uoluit ad eremi decus, ex se hanc familiam pātere, quæ breui usq; eò creuit, ut non potuerit autorem incepti ut uani pœnitere. Item in Anglia diuus Gilbertus suam instituit religionem, sicuti in Germania Mellicenses, Castellenses, & Burfeldenses, alij ab alijs diuerso tempore instituti fuerunt. Sic quotidie à nouis hominibus nouæ introducuntur religiones, inter se tam uestitu, quàm ratione uitæ minimè cōuenientes, perinde quasi uitia animi, cuius ductu ad bona seu mala nos applicemus necesse est, tantummodo extrinsecus per eiusmodi studium possint penitus euelli. Quid, quòd penè totidem monacharum familie institutæ sunt? Sed, ut iam iustum iter conficiamus, haud prætercundam ducimus congregationem diuæ Iustinæ, quæ postremò ad pristinam diui Benedicti dogma-

tis disciplinam instaurata, hodie ut religionis caput supereminet omnes. Eius rei autor fuit Ludouicus Barbus Venetus uir religiosissimus, Patauij in cœnobio ipsius diuæ Iustine, unde nominata est: hanc Eugenius quartus plurimum auxit. Atq; monachi primi omnium introduxerunt in Ecclesiam Dei uota sacra, & uestimentorum profanorũ religionem. Nam illi monachi superiores, ut proximo capite ostendi, pro suo arbitratu uestiebantur. Nec Iudæis indumentum aliquod interdictum erat, præter id, quod esset è lana & lino contextum, sicut Deut. cap. 22. patet. Item modum orandi quamlongissimum, ieiunia frequentiora, & pisciũ escam assiduam, ad extenuandum corporis robur, quò sui debiliores militiam Christi exercerent. Sed & de reliquis initiatorum ordinibus, eorumq; initijs iam dicamus.

De origine Hieronymianorum, Canonicorum regularium, Augustinianorum, Cartusianorum, Carmelitanorum, Præmonstratensium, & Crucigerorum. CAP. III.



Hieronymus Eusebij filius, ortus Stridone, quod oppidum olim ad Pannoniam & Dalmatiam pertinebat, sed Gotthi direptũ euerterunt, Romæ græcis latinisq; literis egregie institutus, sanctioris uitæ causa in Iudæam se cõtulit, ubi & hebraicam linguam didicit: ita triplici lingua eruditus, de rebus diuinis scribendi onus suscepit, in quo omnes neruos ætatis, industrie, doctrinæq; suæ contendit: cuius scripta ut sancta, breui pòst tempore patres receperunt, receptaq; approbarunt: etsi scio esse quosdam, qui id factũ Damaso pontifici falso assignent, quippe qui per diu ante Hieronymum excesserat è uita. Postremò locum circa Bethleem sibi

sibi construxit, ubi reliquum uitæ apostolico ritu egit. Hinc factū est, ut permulti deinde Hieronymi ipsius instituti imitatores existerint, ortaq; sit noua quædam familia, quæ à Hieronymi nomine, quem sui instituti, quamuis longè diuersi ab eo quo ille uixerat, utcunque autorem faciunt, Hieronymiani sunt appellati: qui natiuo amiciuntur colore, pallioq; super tunicam rugato, atq; superiore parte à summo ad imum scisso, scortea zona tunicam succingunt, soleis ligneis pedes muniunt. Sunt & Hieronymiani, eremitani, de quibus proximo capite meminimus, quorum ordinis quidam Carolus cognomento Granellus homo Florentinus, auctor fuisse dicitur, qui eremitanum sua sponte induisset uestitum, sedemq; sibi optasset in Fesulanis montibus. Alij tradunt non Carolum, sed Redonem quendam Montigranelli comitem primū eos eremitas sub ritu diui Augustini, ad Fesulas, Gregorio x i i. probante, instituisse. Imò sunt qui commententur hanc primū familiam à Hieronymo in eremo institutam, & eam auctam ab Eusebio Cremonensi, ac plerisq; alijs precipuæ sanctitatis uiris, qui cum eo uixerāt, & sic accidisse, ut postea melioris uitæ exemplo, plures unam æmulati rem, modicis, ut fit, principijs ortā, sepius instaurarint, atq; eo pacto alios ex uno ordine Benedictinos, alios Augustinianos esse secutos, alios in suo permanisse instituto. Item parū liquidò traditur, an Aurelius Augustinus eas familias instituerit, quarū hodie uulgò autor fertur. Itaq; duplex opinio ad posteros manauit de initio Canonicorū, quos uulgus regulares uocat, et eorū qui ab eremo nomē ferunt. Canonici pertinaciter affirmant Augustinū, ut primū Hipponensis est episcopus factus, redegisse suos statim canonicos ad eam uiuendi regulam, quā inter se in præsentia ser-

uant. Quinetiam iactitant illud apostolorū fuisse institutū, id quod Thomas Aquinas in suo opere secunda secundæ cōprobat: quia illi, ut ait, post ascensum Christi in cœlum in monte Sion, de genere uitæ deliberantes, communia inter se omnia, ac tria uota coram Deo statuere. Ita si Thomæ testimonium amplectimur, non tam ab Augustino est ordo institutus, quàm renouatus: cui tamen ob illud ipsum, non immeritò debet principium rei acceptum referri. Sic origo in dubium trahitur. At Augustiniani eremitani se priores institutos asseuerant ab ipso diuo Augustino, cùm ille catenus fuerit in eremo, ut quidam scribunt, quoad Manichæis in terra Africa scuentibus, Hipponensi dicecesi est præfectus. Per hunc modum de utriusq; ordinis origine ambigitur. Verùm aliam ferunt huiusce collegij originem: multi enim, ut aiūt, mortales Augustini adhuc uiui sanctitatē singularemq; doctrinam secuti, omnibus neglectis quæ possederant, in eremum concessere, unde est eremitanorū nomen deductum. Cæterum siue ab eo, quod est suprâ significatum, ut qui in desertis locis cum illo essent, sint in unum congregati, & instituti, siue ipsius uitam & dogma secuti, passim deserta loca coluerint, hæc de utriusque familiæ initijs habui dicere. Atq; ista Augustiniana familia prima est ex monachis mendicantibus: sunt enim quatuor primariæ, uti infrâ appositè demonstrabimus, & uulgò mendicantes uocitantur, quòd religionis causa, uel atque adeo ut in ocio uiuant, mendicantem perpetiantur, qui solum precarium quæstum faciunt, unde se sustentent. Verùm haud scio, qua ratione isti monachi debeāt in mendicando semper hæerere, quando satis constat Christum non mendicasse, & apostolos non expectasse ab alijs uictū ociosos, scribente Paulo ad Corinthios: Et laboramus

boramus operâtes proprijs manibus : ac primos monachos in Aegypto, teste Chrysoftomo, exercuisse sese manibus laborando. Item diuus Franciscus, cuius secta longè frequentissima est, uoluit suos monachos uictum quæerere manuum laboribus, ac non prius ad mendicandum aggredi, quàm laboris præciû esset negatum. Extat in eius testamento illud præscriptum. Igitur hinc uidere licet, omnes æquè debere apostoli institutum sequi. Ad rem redeo. Sed ne quidem mirum, si res in dubio uersetur, uel duæ trësue familiæ ad unum referantur autorē, cum bene multæ aliæ præterea sint cõgregationes, quæ Hieronymi, Augustini, Benedicti, ac quorûlibet diuorum regulas ab illis, sicuti perhibent, editas profiteantur, quas tamen tantum absuerat ut ipsi instituisent, ut etiam ne tale quid unquam fortè cogitassent futurum. Canonici tunica candida cum lintea toga, sub nigro pallio est: tegumentum à scapulis impositum ceruicem totumq; contegit caput, præterquàm à fronte. Eremitanorum uestitus diuersus est, nigra tunica amicitur, concolor tegmen à scapulis ad caput inducüt, subter candida tunicula, scortea cinguntur zona bubulo cornu fibulata, calceati, ut cõmunis est usus. At penes utrosq; nunc præcipua est uarietas nominis, quod ut sæpius est instauratum, ita in plures diuisum est familias : nam congregatio alia Canonicoꝝ Seruatoris, quæ & Scopettina nuncupatur, cuius autores fuere Stephanus & Iacobus uiri Senenses sanctitate illustres, quæ Gregorius undecimus suo probauit consensu. Alia Frisonaria, à loco in Lucensi agro Hetruriæ regione, quam & Lateranensem appellant: hanc Eugenius quartus plurimû adauxit. Tertia diui Gregorij in Alga Venetijs à Laurentio Iustiniانو instituta, coeruleo utuntur habitu. Et deniq; si quæ aliæ sint, iam

eas missas faciamus, breuitati consulentes, quoniã sepe more fungorũ, subito oriri solent. Ad Cartusianos ueniamus, quorum exordium incidit in annum salutis MLXXX. Quidam enim singulari doctrina, nomine Bruno, homo Coloniensis, cum Lutetiæ Parisiorum philosophiam profiteretur, cõtigat ut amicum quendam bonis moribus præditum, & uita iam priuatam, prius quàm ad sepulturam daretur, audire uisus sit clamantẽ, Iusto Dei iudicio damnatus sum: & ea re motus è uestigio cum sex socijs pari miraculi euentu territis, eremi deserta queritans, peruenit in dioecesim Gratianopolitanam (est Celticæ ciuitas) ibiq; locum optauerit, cui hodie Cartusia nomen est, quem ei assignandũ curauit Hugo Gratianopolitanus episcopus, qui statim post se ad eam familiam adiunxit. Eo igitur loci Bruno ad res diuinas intentus, primum cœnobium fundauit, cum his rigidæ uitæ institutis: intima enim ueste utuntur cilicina, summa pallio nigro, subter candida toga, operculoq; capitis cucullo, carnibus nunquam uescuntur, sexto plurimum hebdomadæ die pane & aqua ieiunium agunt, in cubiculis quæ ueluti sacella habent, soli edunt, certis tamen festis diebus undantaxat prandent. Silentium eis penè perpetuum, nulli fas est cœnobio exire, præter præfectum, & procuratorem, & illis tantum ad negocia loci curanda: quippe opes habent, per quas semper sacerdotibus minus omnino licet se totos, prout deberent, rebus sacris curandis dare. Mulieribus ad eorum etiã templa aditus interdicitur, quò ne aliquid uideant per quod ad libidinem rapiantur. Bella sanè prouisio, si affectiones animi possint claustris compesci, & caro solitudine & ocio domari, id quod diuus Hieronymus ualde laborando, ut ipse testatur, efficere uix potuit. Carmelitanorũ hunc referunt

referunt ortum. Est in Syria mons Carmelus, olim cum aliorum prophetarum, tum Heliae in primis memoria nobilis, quod in eo ille habitasset: id, credo, anachoretarum non pauci numero secuti, locum tenuere, qui demum Almerici Antiocheni episcopi opera, in unum coiere, cum ante sparsim montem habitarent, ac tum primum praepositum ex se constituerunt. Fuit in eo monte secundum fontem, qui Heliae dictus est, Deiparae sanum, ubi illi prima coenobij fundamenta iecerunt, unde fortasse sunt Carmelitanæ diuæ uirginis monachi nuncupati. Incidit prima hæc uitæ obseruatio in Alexandri tertij pontificatum, qui sedere cepit circiter annu salutis MCLXX. Verum quia neque uitæ instituto, neque cultu, neque certis cærimonijs nitebatur ille nouus coetus, abortus quidam, non res legitimè ab initio instituta uisa est. Veram itaque originem fuisse tradunt quidam, quæ anno post circiter quadragesimo consecuta est, sedente Innocentio tertio: Albertus enim Hierosolymitanus antistes ijs in eremo agentibus certam obseruationis dedit formam, ex Basilij dogmate quædam mutuatus. Attributum est pallium uersicolor ex albo & canusino, id est, rutilo, circulatum, quali dicitur Helias propheta olim usus: postea Honorius tertius pallij huiusmodi formam ademit, uelut religioni parum conuenientem: pro uersicolore, album est illis datum, appellauitque; Virginis familiam, ut nomen uirginitatis cum pallio albo, qui color minime maculatus est, rectè conueniret. Et hæc altera mendicantium secta. Iisdem ferè temporibus Præmonstratenses e caelo, ut prædicat, demonstrati sunt terris, in Laudunensi diocesi, eo loci, quem Præmonstratum uocant. Autor ordinis fertur fuisse quidam Northbertus presbyter homo Lothoringus, qui hoc arctissimum uitæ genus ex Augustini ritu queritans,

à Calisto secundo impetravit probatum iri. Amiciuntur tunica alba, cum linea toga, sub candido pallio, quo potissimū à Canonicis differunt. Crucigerorū origo multò antiquior est, si uera sunt quæ ipsi Crucigeri de primordio sui ordinis prædicant: aiunt enim Cletum Petri Apostoli discipulum, & ab eo inde tertio loco pontificem, cœlesti nuncio crucem habente monitum, ut hospitalem domū fundaret ijs, qui Romam peregrè uenirent religionis causa, essentq; ibi præstò, qui itineribus fessos comiter acciperent, pieq; reficerent, & ij gestarent perpetuò crucem, monumentum dominicæ passionis, ac ita illum demū paruissè oraculo. Sed illud pro certo habendum dixerim, rectè initium huius rei assignari Cyriaco Hierosolymitano antistiti: is enim fuit, qui Helenæ Constantini matri locum ostendit, ubi dominica crux occultaretur, qui ob memoriã rei, dicitur primus constituisse collegium eorum, qui crucem omnibus uenerandam manu gestarent. Hunc pium patrē Iulianus Imperator occidit. Rem ijs principijs ortã, & breui post tempore propè ad interitum deductam, tertius Innocentius instaurauit, quòd Romæ heresim Albinensem subito exortam, unde magnus in urbe motus extitit, ope cruce signatorū, qui tum in Syriã ituri erant, extinxisset. Fuit hic annus salutis humanæ MCCXV. Postremò Pij secundi pontificatu, in Mantuano conuentu, datum est ut cœruleo uterentur amictu, cum olim indiscreto usi sint colore, ac crucem ex ueteri instituto gestarent, unde inditum familiæ nomen. Est hodie alterum quoque huiusce familiæ collegium longè remissioris uitæ, & ij pallio amiciuntur nigro, geruntq; in pectore, non manu, crucem ex albo rubroq; colore confectam, ac diui Augustini regulam profitentur.

De Prædicatorum, Franciscanorum, Trinitatis, Seruorum Deiparæ, Brigidensium, Iesuatorum, Nouorum eremitanorum, & Bonorum hominum origine. CAP. IIII.



Anè ut tertio Innocentio sedente, innocentie aliquid in hominib. diluceret, duo longè post hominum memoriam extitere sanctissimi patres, Dominicus Calaguritanus homo Hispanus, & Franciscus Asifias in Umbria Italiae regione ortus, qui cuiusdam noui ordiendæ uitæ instituti autores anto certatim fuerunt, ut æquales. Dominicus ab initio canonicus fuit, ac cum paucis quos socios sibi delegerat, nouam instituit obseruationem, nouumq; uestimentum dedit, tunicam candidam, nigro pallio superiecto, & ab humeris ad caput scapulari tegmine. Et ne pietatem colendo domi ociarentur, docuit eos in primis sua prædicatione, unde nomē nouæ familiæ indiderat, longè lateq; omnibus terris diuulgare Euangelium, quod ipse Christum imitatus facere prius uoluit: quippe qui id temporis hæresim Tolosæ pestiferam Albigenfium iandudum glifcentem sua opera compescuit. Vidit Innocentius nouum institutum, & miratus est: quod Honorius qui illi successerat, recepit atque approbavit. Et ista tertia est mendicantium familia. Propter hæc pietatis opera, Dominicus deinde post actam sanctissimè uitam, in diuorum ordinem à Gregorio IX. adscriptus est. Franciscus uerò humanitatis plenus, à principio Aurelij Augustini, ut quidam scribunt, regulam professus, calceatus, zonaq; scortea cinctus aliquandiu conspectus est: inde reputans animo dominum iussisse sanctissimis apostolis, ne binas tunicas, neue sacculum haberent, tunicam induit unicam natiui uelle-

ris, funiculoq; præcinxit, pedes simul nudauit, ac ut demum anachoretam se præberet, in Apennini iugum aduolauit, quem locum hodie uulgò Auernam dicunt, ubi ille diuinis rebus deditus, dominicæ passionis stigmatibus inustus est, qui eos quos sui instituti ab initio socios optauit, manifesto humilitatis argumento, Minores appellauit, quò eius exigui nominis memores, facilius ab omni superbiæ uitio abhorrerent, quæ sepe numero sanctitatis est comes. Honorius institutum cõprobauit, ac biennio pòst Gregorius Franciscum inter sanctos retulit. qui fuit annus salutis M C C X I X. Nullum unquam humanæ pietatis institutum magis breui tempore creuit: totum enim terrarum orbem una hæc impleuit familia, sic ut uulgus iam tum stupefactum suspicaretur non tam pietatem, quàm ocium & ignauiam interdum multis cordi esse. Atq; is quartus mendicantium cœtus. Fuit per id tempus, Clara uirgo etiam Asisias, quæ monacharũ, alterum nouum religionis institutum, quod pauperum dixit, à Francisco cõtinentiæ doctore accepit, acceptumq; non solum persanctè coluit, uerum etiam auctum posteris reliquit. Constat hic ordo plurimum ex muliebri sexu. Secutus est ab eo, uelut riuulus ex eodem fonte manans, tertius ordo eorum qui Pœnitentes dicuntur. In hoc quoq; innumeri mortales sunt. Post hæc Prædicatores & Franciscani, ut ne beatissimi omnibus rebus essent, inter se diuortium fecerunt: nam alij cum alijs de sanctitate certantes, alterius uitæ quiddam ordiri cœperunt, qui se uelut instituti obseruantiores, de obseruantia uulgò appellarunt. At Franciscana familia huiusce obseruationis multò frequentior est, utpote inter omnes ferè gentes iam pridem propagata. Hanc memoria nostra, Edouardus quartus rex in Angliam primus introduxit,

xit, quæ tanto breui tempore sanctitatis nomine claruit, ut paulò post ab Henrico septimo fuerit magnopere adauctæ, ac hodie habeat sex cœnobia longè celeberrima. Verùm ut Innocentij ætas religionis feracior esset, est & monachorũ Trinitatis, ut uocant, ordo id temporis exortus: quidam enim Ioannes Matta, & Felix anachoreta, cum in Gallijs circa Meldensem agrum uitam solitariam agerent, per quietem admoniti pontificem adiuerunt, ab eoq; petiere certum uiuendi modum. Ille haud multò post etiã oraculo, ut aiunt, monitus, anachoretas cãdido induit uestitu, cruce rubra pariter atq; cœrulea insigni, illisq; negocium mandauit, ut nostros ab hostibus captos precio redimendos curarent, ac idcirco monachos de redemptione captiuorum appellauit. Consueuerunt ij postea pij certè uiri eleemosynas queritare, quibus captiuos redimerent: sed & hoc pietatis officium ferè nusquam hodie præstatur, & id, credo, ut uetus renouaretur institutum: nam, teste Tertull. de fuga in persecutio- ne, Christiani olim non redimebantur pecunia. Iisdem quoque temporibus Martini quarti pontificatu, Philippus Tuscus genere, Florentiæ ortus, ac medicæ artis professor, nouæ uitæ autor, institutorq; familiæ, quam Deiparæ uocant uirginis: qui primo initiati, Serui nuncupari cœperunt, manetq; hodie nomen. Philippus anachoreticã uitã secutus, oraculo monitus, nouum religioni adiecit uestitũ: nigræ tunicæ ac succinctæ nigrũ superiniiciunt pallium, circa humeros in rugas cõplicatum, scapulari amictu ab humeris reiecto, cõmuni more calceati. Nec res magno admodum est fauore à principio recepta, sed cum nouũ institutũ sua sponte in dies singulos initiatorũ numero augetetur, Benedictus undecimus, septẽq; deinde pontifices, qui secuti sunt, appro-

bauerunt, multisq; priuilegijs excoluere. Incidit primū rei huius exordium in eum salutis annum, qui M C C L X X X V. fuit. Ordo item à Brigida uidua instituitur: hæc Suetie princeps, mulier sanctitate insigni, eo anno, ut quidam uolunt, quo Vrbanus quintus exiuit de uita, Romam uoti causa uenit, ubi quotidie loca sacra adibat, obtinuitq; à pontifice ritum ab se institutum probari, ut coenobium utriq; initiatorum sexui cōmune foret, murorū tamen ac aspectus separatione diuisum, ut uirgines superiora habitaret, monachi uero inferiora: templum itidem pari modo commune: omnibus autem abbatisa, quā uocant, præesset. Sunt qui tradant Basilium primū hunc ordinē in Græcia instituisse, sed postea ne uirginitas muliebris obtrectationib. pateret, patres iussisse, ut uiri seorsum habitarent, ac propterea Brigidam instaurasse eiusmodi religionem, inita ratione, qua sine criminis suspicione, & templum & domus essent utrisq; communia. Cui opinioni, ut ueriori, assentiendum esse dixerim. Quinto eiusdem Urbani anno, qui fuit salutis humanæ M C C L X V I I I. Iesuatorū secta Senis orta est: colligebantur ab initio domesticatim, simplici indumento amicti, multa innocentia & pietate uiri, sibi uictum labore & opera queritantes. Hos Vrbanus, quia iam suspecti, ut malefica aliqua superstitione imbuti, haberi incipiebant, ad se Romam uocatos de caerimonijs & uitæ instituto interrogauit, cognouitq; totā rem, & probauit, deditq; ut alba tunica uerentur, & capiti quadrato à ceruice ad humeros deiecto. Cinguntur scortea zona, nudos pedes ligneis soleis in inferiore parte muniunt: datū inde est, ut canusinū pallium tunicæ superiectū ferrent. Apostolici à principio uiri nuncupati sunt, sacris non inicianur, tantū precibus uacant, &

Iesuati

Iesuati ab eo dicti sunt, quòd Iesu nomen frequens sit in illorum ore. Fuit rei autor Ioannes Columbinus, homo Senensis. Orta est in terra Italia eodem tempore Urbini (est Umbriae antiquissima urbs ac percelebris) noua Eremitanorū congregatio, nihil serè amictu differens à diui Hieronymi familia, de qua suprà memorauimus: illis enim ex scapulari amictu, tenuis tantum pendet lacinia in humeros reiecta, at calceamentum, ut usus fert, cōmune, & cætera, quæ reliquis Hieronymianis. Petrus quidam homo Hetruscus ac Pisis natus, noui huiusce instituti autor fuit, qui ciuū opibus adiutus, cœnobiū inibi è regione ædium nostrarū extruxit, quod hodie tam Eremitanorum numero, atq; uitæ sanctimonia, quàm populi in eos pietate, princeps omnium aliorū habetur, quæ uiginti numero esse perhibentur in Italia duntaxat, quippe institutū ut recens, aliò terrarū nondum peruasit. Sed iam cum bonitate hominū, de eiusmodi initiatorum turba finem faciamus. Hos Anglia genuit: siquidem Ricardus Cornubiæ comes, qui fuit Hērici tertij regis frater, cū circiter annū salutis M C C L V I I . ab electoribus Imperij cooptatus Romanorū Rex, uti in nostra Anglica historia suffius exponitur, in Germania moraretur, eius interim filius nomine Edmundus in patriam rediens, nonnihil sanguinis Seruatoris illinc secum tulit, conditoq; cœnobio, parum supra Berchanstedium pagū, qui ab urbe Londino distat millia passuum quinque; & uiginti, eo loci id nostræ salutis monimenti collocauit, introduxitq; nouæ religionis uiros, quos Bonos appellauit homines. Ii diui Augustini ordinem profitentur, uestitumq; cœruleum induunt, forma penè similem, atq; Eremitani utuntur: qui uerò præest, rector nūcupatur. Loco nomen est Ašheruggium, hodie longè celeberrimo.

De origine sacrorum militum, ac de initio atq;
exitu sectæ Albatorum. CAP. V.

DUm Hierosolymorum urbs antequam à no-
 stris postremò circiter annū salutis MXC-
 IX. recepta fuisset, à Saracenis obtinebatur,
 Christiani Latini nominis qui ibidem dege-
 bant, ab illis impetrauerunt, ut sibi liceret domicilia prope
 Seruatoris sepulchrum habere, ubi cœnobium diuæ geni-
 trici construxere, quod Latinorum appellabatur: & abbas
 præerat, cuius erat in primis officium, hospites accipere La-
 tinos. Eodem exemplo, breui post tempore alterum uirgi-
 num cœnobium diuæ Mariæ Magdalænæ iuxtà dedicatū,
 quod item scēminas acciperet. Confluentem deinde peregrī-
 norum cateruam cum locorum non caperet angustia, hospi-
 talem domum propè etiam posuerunt, quam diuo Ioanni
 Baptistæ consecrarunt, admoniti Zachariæ patris memo-
 ria, quòd eo loci sæpe ad meditandum conueniret. Sunt ta-
 men qui scribant Ioanni Eleemosynario illam dicatam fuis-
 se, qui Phoca imperante, patriarcha fuit Alexandrinus, ita
 cognominatus, ob frequētes, quas pauperibus faciebat, elee-
 mosynas, id est, largitiones. Huic etiam domui unus præfi-
 ciebatur: quare longo post tempore quidam præpositus
 loci, nomine Gerardus, cum socijs crucē in nigro pallio can-
 didam affixit, & eum assumpsit ritum, quo nunc degunt.
 Pari exemplo Agnes, quæ uirginum cœnobio præerat, pro-
 fessa est. Res postea per pontifices Romanos & patriarchas
 probata, adeò breui creuit, ut opes dein maximas principū
 liberalitate sint assecuti, quorū mox Ramundus primus crea-
 tus magister militiæ, qui in uniuersum ordinem obtineret
 imperium, Censentur diui Augustini ordinis; dominicans
 precens

preem certo numero repetitam pro canonicis recitant ho-
ris. Isti cum militiam Deo opt. max. & Ioanni sacram insi-
gniter exercerent, demum Rhodum insulam de Turcis cœ-
perunt, quam Clemens quintus illis assignauit. Fuit is annus
humanæ salutis MCCCVIII. Sunt qui tradant eam in-
sulam à Gotthofredo rege urbis Hierosolymorum primò
concessam, & illos semper eam ad nostram usque ætatem
fortiter defensitasse: sed prior sententia, ut uerior, pluribus
probat. Post receptam ex hostibus insulam, illuc se rece-
perunt, dictiq; inde sunt Rhodiæ militæ milites, ubi cum Tur-
cis perpetuum bellum gerunt, atque ex proximo hostiliter
infesti sunt, sæpe & ipsi bello petiti, oppugnatiq; acriter,
nostra præcipuè memoria, cum postremò humanæ salutis
anno MDXXIII. mense Ianuario superati, insulæ im-
perium amiserunt. O rem perditam, ô desperatas opes.
Tulerunt Rhodienses milites obsidionem amplius tris men-
ses, & tamen Christiani principes nullas illis copias auxi-
lio miserunt, partim ciuili bello, partim alijs curis occupa-
ti. Atq; ita arx unica Orientis amissa est. Templarij milites
circiter annum salutis MCXXVIII. pontifice Gelasio se-
cundo, ut quidam scribunt, Hierosolymis esse cœperunt, ubi
circa Christi sepulchrum agitantes, Christianos uiros illuc
peregrè profectos hospitio accipiebant, acceptos armis ac-
cincti per templa & sacra loca comitabantur, ut omnē ter-
ram sanctam tutò uiserent. Fuerunt huius charitatis officij
autores uiri singulari pietate nouem numero, quorum prin-
cipes Hugonem Paganū, & Gaufrédum ex sancto Alexan-
dro fuisse ferunt, li quia in parte ædium templi habitabant,
Templariorum nomen inde tulere: utebantur candido pal-
lio cum rubenti cruce, propagataq; est religio in ducentos

annos. Certam ijs formā obseruationis Bernardus abbas cōstituit. Habuit res leuis ab initio, non parua incrementa, ita ut facultates maximas, & oppida quamplurima ubiq; gentium possiderent: uerum conuicti demum impietatis, quōd qui Hierosolymis agebāt, ad Saracenos defecissent, essentq; in foeda uitia prolapsi, omnes ad unū Clementis quinti pontificatu deleti sunt, eorūq; bona partim Rhodijs militibus, partim nouis familijs attributa sunt. Theutonicorū paulō pōst subsecuta religio ex utraq; priorum mista, quippe qui hospitio accipiebant, & cū res postularēt, pro religione armis decertabant. Initiū fecit homo Theutonicus, qui pōst Hierosolyma recepta, unā cum plurimis suae gentis eo loci remanserat. Is uxorem & facultates habebat, motus suorū qui sepulchrum quotidie adibant, misericordia, qui neq; linguam nossent, neq; diuersorium inuenirent, domū suam hospitalem illis communem fecit, ac ibidem diuē uirginis sacellum adiunxit, cui paulatim turba ingens Christianorum sese tam pro aegrotis curandis, quā pro tuenda religione dicauit, unde Deiparæ uirginis milites sunt appellati. Tum ex se magistro qui præfesset optato, albo amictiuntur pallio, nigra cruce, subter & nigra tunica, statuuntq; ut nemo nisi Theutonicus, huiusce militiæ sacris initietur, atq; idem claris ortus parentibus, & cui proponatur, ut aduersus sacratissimæ crucis hostes, paratus sit omni tempore sese in discrimen offerre, ac fortiter dimicare: item barbam unusquisq; nutriat, præter eos qui sacrificent: & demum dominicam precem pro canonicis horis tantum usurpet. Ac Theutonice militiæ hæc fuit origo, quam Romani pōtiffices suo pōst ratam fecerunt consensu. Isti post Ptolemaidem, quō se amissa Hierosolymorum urbe primū receperant, in Syria à Saracenis

Saracenis occupatam, reuersi in Germaniam, suo ductu & auspicijs terrā Prusiam, quam hodie uocant, subegere, subactam & iure belli quæsitā suæ ditionis fecere. Victa gens, quæ malorum olim demonū cultrix fuerat, religionē Christianam complexa est, & cum religione, Rhutenicam linguam. Fuit ad Vistulam fluuiū quercus, ubi ab initio uictrix gens castellum construxit, & inde, ut sunt res hominū, quæ tenui principio facillimè augentur, oppidum frequens cultu adoleuit, Marieburgū uocant, caput nunc gentis, sedesq; eorum qui uniuerso ordini præsunt. Milites diui Iacobi in Hispania, sub ritu diui Augustini, Alexandro tertio pontifice, qui rem probauit, esse cœperunt, quorum primus fuit magister Petrus Ferdinandus. Item sunt & Calatrauenses à loco nuncupati, quorū militiæ autor fuit Sanctius rex, circiter annum salutis M C L X. nigrum amictum cum rubra cruce gestant, ac Cisterciensem profitentur ordinem. Cuiusmodi etiam censentur in Lusitania milites Iesu Christi, quos Ioannes uicesimus secundus Romanus pōtifex instituit, quò essent, qui ex officio Saracenis Beticā id temporis tenentibus resisterent: crucem rubrā in nigro affigunt pallio. Sunt & apud Alcantariam oppidum in regno Castellæ, milites, de quorum initio parū liquet. Iacobus rex Aragoniæ duos etiam militum ordines circiter annum salutis M C C X I I. instituit, quorū alteros diuæ Mariæ de redemptione captiuorum, siue de mercede appellauit, utpote quibus de captiuis redimendis curæ esset: amictū induunt album cum nigra cruce. Alteros Montesiæ milites, rubenti cruce insignes nuncupauit. Vtranq; militiam Gregorius nonus sua auctoritate probauit. Nouissimè autem quando ignauissimo cuiq; iam nouæ religionis introducendæ libido incessit, Franciscus

quidam homo Siculus, diui Francisci summissionem æmulatus, Minimorum sectam instituit, qui à carnibus coctisq; abstinerent cibis. Quo uiso, nonnulli in præsentia qui mallent quoduis pati, quàm sese in aliqua arte exercere, etsi uiles sunt animæ, conantur inchoare aliam inertie sectã. li crasso lino tantùm corpora tecti, aperto capite ac pedibus nudis uagantur: quorũ caput fertur quidam Iacobus homo Cremonensis, tam laboris fugiens, quàm ignauie amator. Hinc cognoscere licet, quàm conducibile esset, hæc hominum sæces tanquam membra Christianæ religionis agnata contere re, abscindere, cremare, ne suis sordibus cultus diuini nitorem & munditiam diutius conspurcarent. Aliud memorabile hominum genus Bonifacio nono pontifice, subito terris apparuit, creuissetq;, nisi maturè itum esset obuiam: descenderat enim in Italiam ex Alpibus sacerdos ingentem mortaliu numerum trahens secum: erat is alba indutus ueste, ut colore syncero, eam qua præditus uidebatur, animi integritatem præ se ferret: gestabat crucem, deplorabat rerum humanarum statum, deplorabat temporum calamitatem, deplorabat hominum peccata, petebat rectà urbem Romam, sperans futurum, ut eo loci malum sanaretur, ubi religioni iniustum putabat. Sequebatur ingens utriusq; sexus multitudo linteis induta, unde Albati dicti sunt: ubi nox oppressisset, ibidem humi iacebat, passim populis cibaria dantibus. Bonifacius Romanus Pontifex rem nihil æqui boniue fecit, qui honori suo timens, ducẽ agminis, ut flagitij conuictum, Viterbij opprimendum curauit. Atq; ita omnis Albatorum cœtus dissipatus est, cunctis post amissum ducẽ, domum pedem referentibus. Fuit is annus humanæ salutis M C C C C.

De Niniuitarum initio, quorum secta uulgò Confraternitas dicitur: & unde mos, ut consocij inter orandum sese conuerberent. CAP. VI.



Postoli statim ut Christus est morte affectus, officij memores, conuentus facere, prout in actis patet, cœperunt, ubi orando, consolando, agendo, rem Christianam propagandam mirandum in modum curabant: non secus atque illi, qui eorum opera religionē complexi sunt, postea fecere, teste Tertulliano in Apologet. capite 39. Vnde usus facilè ad posteros manasse uidetur, ut prophani quoque homines cœperint apostolorum more, diuini cultus causa, instituire societatis, seu, ut ita dicam, fraternæ charitatis collegia, illis que magistros dare, qui statutis diebus reliquos socios conuocarent, ad cærimonias nonnullas concelebrandas. Inde tot milium ordines prodire, quos suprâ memorauimus. Durauit institutum, abijtq; in uarias societates, quas uulgò cõfraternitates dicunt. Ii statis diebus, mutua charitate conueniunt, orant, sacerdotes conducunt, qui rem diuinam faciât, pauperes alunt, sexcentaq; pietatis officia quotidie faciunt. In supplicationibus publicis, id est, in pompa sacrorum, ordine procedunt, ut plurimum saccis linôque ora contecti, sese flagello conuerberant, nudum ac lacerum tergum ferentes, uelut uerè pœnitentes decet. Vnde Niniuitas dictos uolunt, quòd eodem modo Deum placare studeant, atq; Niniuitas olim monitis Ionæ prophætæ, pœnituisse constat. Cæterum res ista fidem facit, à Romanis Lupercis institutum esse acceptum, quòd illi Lupercalia ludicra celebrantes, nudi per urbem incedebant, ac laruati flagellis obuios cedebant, sicut demonstrauius, cum de origine ludorum

apud Latinos suprà prodidimus. Quòd si longius liceat huiusce uerberationis originē querere, ego ab Aegyptijs sumptum dixerim. Siquidem illi dæmoni maximo uaccam multis cærimonijs, teste Herodot. immolare solebant, quod sacrificiū dum ardebat, omnes uerberabantur. Est præterea uerisimile uel à sodalitijs originē esse, quæ sodalium collegia apud ipsos Romanos erant. Cornelius enim Tacitus sodales sacerdotes Romulum inita cum Tatio societate, fecisse scribit. Vnde Titij sodales. Et Tranquillus sodales Augustales uocat: sicut apud Iulium Capitolinum, Antonianos sodales legimus. Augustinus ait sodales, quasi edales, quòd simul essent. Plinius item scribit Romulum instituisse arualium collegium, seq; duodecimū appellari uoluisse fratrem, ut alibi est demonstratum. Durasse autem istiusmodi sodalitates testatur uetustum marmor apud Tybur, in quo inscriptum est, Sodales Hadrianales. Hinc igitur non dubitanter dixerim, nostros pontifices, qui semper studuere Romanos in primis ab huiusmodi uanis ludicris ac sodalitatibus, ad pudicū ritum certamq; uiuendi formulam trahere, sanctiore instituto, induxisse homines ad hæc societates coeundas, quæ hodie ubique gentium frequentes uigent optimis uitæ ac religionis institutis. Quibus sanè societatibus hæc dignitas attribuenda est, ut nunquā labefactæ sint, postquam esse ceperunt, quin etiam in dies singulos auctiores fiant. Ob hoc, uel reliquos ordines pudere debet, qui nunquā intra prioris, ac eius quidem sanctioris regulæ limites contineri potuere, etsi crebro instaurati.

De origine sectæ deæ Syriæ sacerdotum, Assyriorum, Antonianorum, atq; Cæretanorum.



St operæ precium animaduertere, quantum semper posteritas malarum potius artium, quam bonorum morum tenax fuerit, quod cum in alijs multis, tum in circūforaneis mendicabilis apparet: fuit enim apud priscos quorundam hominum secta, qui malefica religionis specie provincias peragrando, pecunias & alias res corradabant. Ii simulacra deorum circumferentes, quibusdam fallacijs uaticinabantur, deos suos propitios offerentibus futuros spondebant, multa malitia, multa mentientes: quales in primis fuere sacerdotes olim deæ Syriae, de quib. Apuleius lib. 8. meminit, ac sub persona asini sui, oppido quam scienter eorum technas, machinas atque fraudes enarrat, ita scribens: Sed ubi tandem fatigati, uel certè suo laniatu satiati pausam carnificinæ dedere, stipes æreas, imò uerò & argentæas multis certatim offerentibus, sinu recepere patulo, nec non & uini cadum, lactem & caseos, & farris & siliginis ac leguminū aliquid, & nonnullis ordeum de ægerulo donantibus, auidis animis corradentes omnia, & in sacculos huic quæstui de industria preparatos sarcientes, dorso meo congerunt, ut duplici scilicet sarcinæ pondere grauatus, & horreum simul & templum incederem. Ad istum modum palantes omnem illam deprædabantur regionem. Apuleius hætenus. De dea autem Syria, ut hoc per appositè ostendamus, Lucianus libellum scripsit, in quo tradit se uidisse in Syria statuam in templo deæ multiformē, quæ quidem esset Iuno, haberet tamen aliquid Palladis, & Veneris, & Lunæ, & Rhex, & Dianæ, & Nemeseos, & Parcarum, quæ altera manu tenebat sceptrum, altera fusum, in capite radios ferebat, & ignem, & cæston, & denique demonstrat deam Syriam esse numen

unum, quod uarijs nominibus uocaretur, cuius sacerdotes crotala pulsabant, cui Galli sacrificantes, secabant brachia, multi tympana percutiebant, alij diuina cantica concinebant. Item in sacris deæ quibusdam iuncturas manuum & ceruices stigmatibus notabant, inde Assyrij omnes notati uisuntur. Durat adhuc superstitiosa fraus in gente: nam nūc non sacerdotes, sed magnus uilissimæ plebis sexus utriusq; numerus, in omnes orbis etiam Christiani partes diffusus, uoti, ut aiunt, causa, sine fine peregrinatur, uictum ostiatim quæritando. Mulieres chiromantiam profitentur, hoc est, per linearum manuū inspectionem diuinant, interim egregie doctæ ad subtrahendam furtim è marsupio eorum, quibus futura prædicunt, pecuniam, nisi bene cauerint. Nusquam ultra tertium diem immorantur, sub diuo prope ciuitates & oppida tabernacula collocant: sunt omnes stigmatibus notati. Ex quo satis constat, hos esse Assyrios, qui fraudibus & dolis exercitati, ritu sacerdotū deæ Syriæ, co mendicabulo uiuunt. Istos Itali Cilices uocant, quòd ex Cilicia, quæ, teste Plinio, Syriæ proxima est, profiscantur: alij uerò extra Italiam, Aegyptios nuncupant. Ab ijs igitur Syriæ deæ sacerdotibus, usq; ad nos huiusce fraudis labes peruasit. Porrò hodie uiget omnis generis fraudulentorum hominum secta, qui simul industriæ, simul laboris fugientes, quò plus sanctitatis præ se ferunt, hòc intrinsecus dissolutiores, ipsos deæ sacerdotes nauiter æmulantur, quippe qui per infidiosam pietatem, tanquam diuorū omnium ministratores, dolis apprimè instructi, hic pro templi ædificatione, alter pro uestimentis coëmendis, alius pro alendis pauperibus, alius pro redemptione captiuorū, nonnulli pro educandis exposititijs, circūeuntes castella, pagos, uillas, ab hoc credu-

lorustico blandulè poscunt, & cupidissimè accipiunt ouè,
lanam, agnū, hœdum, ab illo gallinā & oua, ab alio porcel-
lum, uel pernas, ab alio caseum & linū, ab alio superstiose
attonito tritici sestarium, aut cadum uini, uel olei lecythum.
Ad hæc, aut sanctorū reliquias, uel apostolicas tabellas, seu
quorundam antistitum chirographa uetustate assiduoq; usu
passim obliterata, è pyxide depromūt, illaq; magna cum ue-
neratione, offerentibus osculanda porrigunt, promittentes
pro datis munusculis, uitā cunctis cœlestem. Sic eiusmodi ru-
sticanis donis onusti prædam uendunt, in argenti laminam
conflant, atque mox domum redeunt gaudentes, quòd sim-
plicia rusticæ plebis corda, ac pias muliercularū mentes illu-
serint, ludificarint, sefellent gnauiter: nam ad ciuitates,
quibus non faciliè est imponere, nō perinde adeunt. Propte-
rea Cato salubriter admonet, ne uillicus ariolum consulat,
ne aruspices, sagasq; admittat, quoniā hæc hominū genera
uana superstitione rudes animos ad impensas, ac deinceps
ad flagitia faciliè cōpellunt. Sed ad rem redeamus. At ubi do-
mū perueniunt, à suis magno plausu accipiuntur, perinde
ut siterræ marisq; superatis fortiter periculis, spolia am-
pla atq; bono modo parta reportarent. Ac ueteratores isti
ex omni hominū colluue cōgregati, per hunc modū, totum
Christianū orbē, tan impune, quàm impudenter populantur:
inter quos sunt Antoniani, ante pectus T literā pictam
habentes, qui diui Antonij nomine, eo mēdicabulo utuntur,
suoq; tempore porcos recipiūt, qui uicatim ipsi diuo Anto-
nio nutriūtur, quòd id animal cū bene multis alijs in eius tu-
tela sit. Atq; ita dij nostri per hominū fraudes, etiā nunc e-
dūt, bibūt, amiciūtur. Sed arte et astutia insigniores sunt illi,
quos Itali Cæretanos, à Cæreto Vinbræ oppido appellant,

qui huic tam maleficæ rei studio duntaxat additi, pro honesta arte habent summa cū proteruitate mendicare. Itaq; quotannis circa æstatem extremā, ingens turba, fallacijs tantum more patrio armata, factō agmine, Cæreto mouet, seq; in omnes Italiae partes effundit, pecuniā undecunq; corratura. Vnde fit, ut quicumque apud ipsos Italos, tales faciunt turpes quæstus, Cæretani nuncupentur: in quorū numero non equidem immeritō monachi nonnulli haberi possunt, qui longē petulantius quā deceat, eleemosynam sepe petunt, imō flagitant, id quod bene multi mendicantes pauperes, quasi ex præscripto faciunt. Atq; ita una uel altera de causa, Cæretana secta per omnes gentes peruasit.

De primordio Mahometanæ sectæ, atq; eius legibus & institutis. CAP. VIII.



Ommodissimè hīc subiiciemus illius pestilentis Mahometanæ sectæ initium & dogmata, quæ cū libidinū nefanda sceditate, tum multijugibus præterea flagitijs nihil omnino dissonant à deæ Syriæ sacerdotū moribus atq; uitæ turpitudini, quæ omnia proximo capite non parū satis prodidimus. Fuit maleficæ religionis, imō impietatis autor Mahometus nobili genere natus, homo Arabs seu Persa, utrunque enim proditur, patre malorū dæmonū cultore, matre Ismaelita, & ob id hebraicæ legis non ignara. Quæ res fecit, ut dum uterq; suā legē doceret, puer fuerit multō peritior effectus, qui deinde mortuis parentibus, fortē captus emitur à quodam prædiuite uiro nomine Abdemonaple, homine Ismaelita, qui iuuenē sibi gratum ob formā, & ingenium, mercaturis faciendis, ac negocijs procurandis præfecit. Frequentabat

tabat id temporis domum Abdemonaplis Sergius monachus Nestorianæ hæreseos uir, qui cum nullo esset apud suos numero, præsentē uitæ statum stomachatus, Byzantio in Arabiam fugerat, Mahometumq; ualde diligebat. Interim sine liberis mortuo hero, iuuenis uiduam in matrimoniū duxit, per quam grandem pecuniā consecutus, animū ad maiora extulit. Hæc de Mahometi adolescentia, & bonæ indolis initio, traduntur à compluribus. Quidam Græcorū eum Ismaëlitam tantū memorant, sordidoq; loco natum, puerilibus annis furaci quæstu sibi uictum quæsisse, ac locandis conducendisq; camelis, ad deportandas huc atq; illuc merces, inde uerò aduultum latrocinia fecisse, cōparataq; latronum ingenti manu, uno atque altero facinore illustratum, iamq; Persicis rebus infestū, ut qui in Heraclij partibus esset, pugnasse in eo prælio, quo res Cosdræ conciderunt, ac inibi uulnere affectū. Verum postea maiore Arabum exercitu instructus, ausus est Romani imperij turbare fines, cuius tamen motus Heraclius citò compescuit. Is itaque homo callidus atque uasfer ingenio, magicisq; artibus pollens, ut etiam specie religionis, quæ hominum mentes repente occupat, apud suos barbaros suapte natura leuitate imbutos, plus sibi fauoris & potentiæ conciliet, se Dei prophetā nominat, ac, uti uulgus id facilius credat, interdum solebat tanquam mentis errore actus in terram corruere subito, perinde quasi comitiali tentatus morbo: quod cum uxor miraretur, Desine, inquit, chara cōiunx mirari, sic enim deus mihi futura suggerit, eius spiritu corripiente me. Hac ille quoq; armatus fraude, & inter Christianæ pietatis uiros diutissime uersatus, rem perniciosam humano generi ex duabus est legibus commentatus: siquidem anno salutis DCXX. &

Heraclij principis XII. nouam sectam conditurus in Arabia concionari cœpit, prædicans esse se Dei prophetam primarium, & Hebræos aiebat impiè facere, qui Christum natum ex uirgine inficiarentur, quando id prophete, uiri præcipua sanctitate, diuino afflatis spiritu futurū cecinerant, expectandumq; multò antè prædixerant. Contrà Christianos stultè credere Iesum prophetam summū ex Dei spiritu genitum, ac omnis terrenæ labis expertē, uoluisse opprobria & cruciatum à Iudæis perpeti, cum præsertim eius gloriosum corpus minimè pati potuerit: ac proinde deridebat, qui eius sepulchrū religione seruandum censerent. Sic iam per uarios successus rerū, atque conciones, non contemptissimus effectus, eò euasit, ut iura & leges suæ genti dederit, in quibus ferendis à Sergio monacho est præcipuè adiutus. Et ne legi tam pestilenti ab hominibus sanæ mentis quandoq; iretur obuiā, capitalem inscripsit pœnā, si quis de ea ausus esset disputare: ac consilio Sergij usus, ut lex popularior esset, ex omniū gentium seētis, quas rectè nouerat, aliquid assumpsit. Cum Iudæis enim circuncisionē, & abstinentiā porcinæ carnis præcepit: quanquā de circuncisione ambigitur, quòd ipse Mahometus neq; circuncisus est, nec in eius lege de ea re ulla fit mentio. quare Saraceni, quia non antè circuncidunt filios, quàm XII. habuerint annos, in hoc uidentur imitari Abrahā, qui Ismaëlem id ætatis filiū, à quo illi originem ducunt, circunciderat. Item usu uini interdixit, ieiuniumq; per mensem Octobrē continuum seruatiū uoluit, & tantū noctibus uesci, quò diurnam abstinentiā nocturna satietate resarcirent: nam tum per legē licet bibere uinū, quo faciliè ebrij facti sese simul stupris turpificant. Cum Christianis, Christum summū prophetam censuit, nunc spiritū, nunc uerbum,

uerbum, & Dei animā prædicans: uirginē Mariam ad cœlum extulit laudibus, miraculis credidit, estq; Euangelicæ historie non aduersatus, quatenus à suo non discreparet Alcorano, sic dogmatū suorū libellum appellauit: & Hebræis ac Christianæ multitudini per hæc blanditus, simulauit se uelle à Sergio baptizari. Cum neutris uerò, diem Veneris festum instituit, sabbatū Iudeorum, & nostrū diem dominicū aspernatus: ac id fecisse fertur in honorē deæ Veneris, quòd ad punctum eius stellæ rex factus fuisset. Inde ad aliorū studia concilianda, cum Sabellianis negauit trinitatem, quam uocamus: cum Manichæis, binarium in diuinis numerū posuit: cum Macedonio, spiritū sanctum esse creaturā dixit: cum Nicolaianis, multitudinē uxorū probauit, quarū ne essent zelotypi, iussit ut nulla foemina nisi operta facie, foras prodiret: & deniq; Veneris ac omnium uoluptatum habenas suæ genti remisit, arbitratus hæc corporis oblectamenta futuræ felicitati minimè officere. Fas enim est Saracenis quatuor simul habere uxores, et cum illis facere diuortium bis terq; ac earū loco alias ducere, uel priores recipere: emptitias uerò & captiuas tot habere, quot libuerit, easq; ipsas uendere, excepto quòd, si qua grauida à domino facta fuerit, illā non amplius seruitute obligari, et ne cognatio deficiat, etiā consanguineas q̄ proximas ducere uxores. Item Dei propheta nouus, nouū orandi purgandiq; modum suis statuit, qui eiusmodi est. Etenim quinq; in die orant breuiter, profitentes unū esse Deū, qui nullum sibi similem, aut æqualem habeat, & Mahometū eius summū esse prophetam. Sed ante quā precatū cant, omnes corporis partes aqua per q̄ pura, uel terra, si aqua absit, abluūt: quo factò, in meridiē uersi terq; inclinati terrā deosculātur: atq; ita pur-

gati arbitrantur eo modo se cuncta peccata absterfisse, cum citius animū deberent purgare, unde ueræ manant preces. At in forensibus causis plurimū Mosis decreta secutus est, qui talionem quoq; admisit. Postremò ut præmiū suis proponeret scæda religione dignum, promisit fore, ut qui eius mandata seruarent, post mortem collocarentur in paradiso loco amœnissimo, ubi arborum umbra tecti, neque calore neque frigore uexarentur, & preciosis uestibus induti inter puellarū choros, delicatissimis uescerentur cibus, quos angeli ipsius Dei abundè ministrarent. Atque ita propheta de corporū immortalitate tantū egit, ut qui crediderat animos non manere post corpora. Nanq; talis beatæ uitæ status minimè omnino ad extremā corporum nostrorū resurrectionem trahi potest, quando id temporis, teste Christo apud Matthæū cap. 22. erimus sicut angeli Dei in cœlo, ac tantum aberit, ut nobis cibo ullo sit opus. Tempora habent, in quibus præter precationē, nulla fiunt sacra. nullos item sacerdotes, ac nullam fermè habent religionē: nam quanquā unum credunt esse Deum, tamen nulla eum pietate colunt, excepta cleemosyna, qua inopes iuuant. Speciem itidem humanitatis aduersus aliarum sectarū homines præ se ferunt, quos apud se esse sinunt, si magistratibus suis obediant, & in singulos annos tributū pendant, tametsi eos continenter de trimentis atq; contumelijs afficiunt. Et ille talis fuit in danda malefica lege, quæ in gentes serpsit innumeras, ab eisq; ueram Dei religionem mira uirtute antea receptam sustulit, ac in locum illius malorum dæmonū induxit cultum, periculūq; est, ne nobis quoq; eripiat: nam tota Asia & Africa, cum magna Europæ parte, in Mahometanorū ditionem uenit. Quod sanè incendium nil æquè fouet atque auget, ut
perpetuæ

perpetuæ nostrorū principum discordiæ. Hac igitur pestilente superstitione armatus Mahometus, sic Saracenorū animos sibi conciliauit, ut eos demum ad rebellandum contra Persas excitauerit, à quibus rex consalutatus, noui regni in gens fundamentum iecit. Obijt mortem inimicus ille ueritatis annos natus quadraginta, seu ut quidā uolunt, quatuor & triginta, qui tandem moriens prædixit se iturum in cœlum: quod Saraceni diu expectantes, cadauer iam foetidum ferrea condiderunt arca, illamq; Mechā (est Persidis urbs) deportarunt, quā totus Oriens colit. Mahometo Calyphas successest, cui ob nimiam superstitionem imperium est abrogatum, in eiusq; locū alter eodem nomine rex creatur. Tertio deinde loco Homar sufficitur, qui post Persas superatos, Hierosolyma omnēq; Syriā cepit, anno salutis circiter DCLXXX. pontifice Agathone, & Constantino IIII. Imperatore. Cæterum bona istarum rerum gestarum pars Mahometo assignatur. Sanè fuit Heraclius Imperator oraculo admonitus ut à circumcisis caueret, quare ille toto suo imperio, Iudæos suppliciorū metu ad religionem Christianam recipiendam compulit. Hanc ob rem Saraceni & Arabes duce Mahometo arma sumentes, ita Heraclij duces superarunt, ut parum absuerit, quin omnino Imperij nomen delerent, capta Alexandria, multisq; alijs Syriæ & Ciliciæ urbibus. Arabes ea uictoria elati, Mahometi impulsu, Persas bello petierunt, ac uicerunt, qui tum demū coacti accipere legem Mahometanā. Saraceni iam inde pro Persis appellati sunt, qui se à Sara, quæ Habrahæ uxor fuit, ortos prædicabant. Quam Mahometus ansam amplexus eos sibi facile conciliauit, dictitans solos omnium mortalium illos diuina re promissionis esse successores. Sic post deuictos Per-

fas, barbari maioribus uiribus Antiochiam adorti, nobilissimam urbem breui ceperunt, nec ita multò post sunt & Hierosolymis potiti. Post uictoriam Mahometus non multum superstes fuit, inuector pestis teterrimæ, quæ cum suo autore extingui non potuit. Vide, quàm sit uita mortalium pro uior semper in lapsum, quàm in bono constantior: nempe uineâ domini, quam Christus Seruator suis miraculis plantauerat, quam apostoli suis manibus coluerant, quam martyres suo sanguine fecundiorẽ fecerant, quam pontifices sanctissimi suis bonis artibus quotannis putauerãt, & cuius denique nectar dulcissimum ac salutare Asia ipsa cum Africa, amplius sexcētis annis imbiberat, una feralis facula, quã Mahometus pseudopropheta sex tantum annos illis in locis circumtulerat, radicitus incredibiliter absumpsit. Verè barbara progenies nescit habere modum: solæ enim bellinæ uoluptates, quas ille nequam concesserat, hæc gentes à ueræ pietatis officio auocarunt, ac in maleficio pertinaciter continent. Sic malum uenenum à malo homine datum, toti miseri mortales ad perpetuam perniciem quotidie perbibunt, illud postremò in Stygiam euomituri paludem. Heu quàm tunc infelices, sed serò, stultitiæ pœnitebit?

LIBER SEPTIMI FINIS.

POLY-